

- 1 175 Ades¹ parumper verbaque exaudi mea.
 Nil turpe loquimur : hac manu poenas tibi
 solvam et nefando pectori ferrum inseram,
 animaque Phaedram pariter ac scelere exuam ;
 et te per undas perque Tartareos lacus,
- 1 180 per Styga, per amnes igneos amens sequar.
 Placemus umbras : capitis exuvias cape
 laceraeque frontis accipe abscisam comam.
 Non licuit animos jungere, at certe licet
 junxisse fata. Morere, si casta es, viro ;
- 1 185 si incesta, amori. Conjugis thalamos petam²
 tanto impiatos facinore ? Hoc derat nefas³,
 ut vindicato sancta fruereris⁴ toro.
 O mors amoris una sedamen mali,
 o mors pudoris maximum laesi decus,
- 1 190 confugimus ad te : pande placatos sinus.
 Audite, Athenae, tuque, funesta pater
 pejor noverca : falsa memoravi et nefas,
 quod ipsa demens pectore insano hauseram,
 mentita finxi. Vana punisti, pater,
- 1 195 juvenisque castus crimine incesto jacet,
 pudicus, insons - recipe⁵ jam mores tuos.
 Mucrone pectus impium justo patet
 cruorque sancto solvit inferias viro.

¹ *Ades* : impératif présent 2 sg. Dans ce vers, Phèdre s'adresse à Hippolyte.

² *Petam* : subjonctif présent à valeur d'indignation.

³ *Derat* = *deerat* / *hoc nefas... ut* : ce sacrilège, à savoir que...

⁴ *Frueeris* : subjonctif imparfait à valeur potentielle : tu pourrais jouir.

⁵ Phèdre s'adresse à nouveau à Hippolyte.